

82. Et sanè cum conceptus ille *νοηματαὶ* Sacramentariorum, quo statuunt verbalem duntaxat communicationem, rei ipsi verè non conveniat: manifestum est, ipsos planè nullam communicationem credere.

83. Quibus impietatibus ad orcum relegatis, tandem astipulante unanimi Orthodoxorum omnium choro, concludimus Communicationem Idiomatum esse REALEM, quippe quæ sequitur qualitatem ac conditionem sui fundamenti sive causæ, nempe Unionis Personalis, & Naturarum, de qua modo diximus, *κοινωνία*: ut quemadmodum hæc utraque est realis, immò realissima, hoc est, verissima: Ita ejusdem etiam qualitatis & naturæ sit inde resultans Communicatio Idiomatum.

84. Realis hujus Communicationis tria distincta genera sive tres Gradus constituerunt ij, qui hanc doctrinæ Christianæ partem accuratiùs ac limatiùs tum ex scripturarum, tum Orthodoxorum patrum monumentis pertractarunt.

85. Primùm genus quod veteres *ἰδιοποιία* nominabant, definierunt, Quando unius in Christo naturæ Idioma sive proprietas, tribuitur personæ sed in concreto: hoc est ita tribuitur toti personæ, ut illa communicata proprietas non in abstracto, sed in concreto tantùm, hoc est, in personâ enuntiatur. Quales locutiones in scripturis reperian-